

ACTVM ORATORIVM
IN DIEM CRASTINVM
INDICIT
PAVCIS DISSERENS
DE RATIONIBVS
QVIBVS NOBILI ETIAM LOCO
NATI HOMINES
SCHOLAS PVBLICAS PRIVATIS
ANTEPONENDAS ESSE
EXISTIMANT
M. IO. GEORG. Schulze,
SCHOL. CATHED. RECT.

LITTERIS BOSSOEGELIANIS.



N

 On nudius demum tertius factum est, vt viri,
 rationis bene educandae iuuentutis peritissi-
 mi, inter se disceptarent, scholaene publi-
 cae priuatis, an hae illis sint praeferendae?
 Non exiguus profecto est eorum numerus,
 qui cum * G V N D L I N G I O, Halensis academiae polyhistore,
 statuunt, consultius fore hominibus, si ab ineunte aetate,
 intra priuatos parentum parietes, vel ab ipsis parentibus,
 vel a praeceptore domestico, eum in finem conducto, de
 via, ad sapientiam veramque felicitatem ducente, erudi-
 antur. In quam sententiam ingressi videntur, non leui-
 bus inducti rationibus. Primo enim illis persuasum est,
 maiores fieri posse profectus ab iis, quibus singulis, cer-
 te paucis, formandis praeficeretur praeceptor, quam
 ab illis, qui in frequentia condiscipulorum versarentur.
 Hac enim ratione praeceptorem ad discipuli caput se
 totum accommodare posse, omneque tempus illi soli eru-
 diendo impendere, quod in schola publica multis tribu-
 rum, parum efficiat. Accedere, quod in scholis publi-
 cis non integrum sit praeceptoribus, praelectiones mi-
 grare publicas, vnde fieri aliter non possit, quam vt ea
 omnibus discenda tradantur, quae tamen singulis nullum,
 exiguum certe, adferant commodum. Priuatis vero in
 scholis ea doceri posse vel parentum iussu, vel praecepto-
 ris intelligentia, quae discipulo, ad futurum vitae vsum,
 egregiam adlatura sint vtilitatem. Illud etiam in primis
 vrgent priuatarum scholarum commendatores, fieri in
 scholis publicis aliter non posse, quam vt pueri optima
 indolis contagione consccleratorum condiscipulorum, qua-
 si per transuorsum, ad nequitiam abripiantur. Neque
 enim vllum coetum esse tam sanctum, tamque vitae in-
 tegrum,

tēgrum, cui non unus et alter improbus sit immixtus; quum etiam inter Christi discipulos repertus fuerit, qui magistrum suum proderet, atque atrocissimo crimine se obstringeret. Inde vero naturae nostrae imbecillitatem in primis intelligi posse, quod homines non tam ad piorum exemplum vitam ac mores componant, quam improborum pessima viuendi ratione, ad male agendum, se induci patiantur. Hoc autem periculum corruptionis abesse ab institutione priuata, neque metuendum esse, futurum, vt quis, intra vela quasi docendus, aliorum congressu ac consuetudine corrumpatur, a qua hac ratione omnium optime arceatur.

* in obseru. selectis T. I. obseru. X. n. 10 seq.

Quamquam autem haec, quae a defensoribus scholarum priuatarum in medium adferuntur, speciem prae se habeant; illi tamen ad veritatem propius accedere videntur, qui scholis publicis prae priuatis primatum concedunt. Id quod iam olim fecit * M. FABIVS QVINCTILIANVS, rhetorum Romanorum facile praestantissimus, qui non solum priuatis scholas publicas praetulit, sed et suam sententiam argumentis non contemnendis confirmauit. Et profecto illi, qui malunt, liberos suos domi institui, metuentes, ne in scholis improborum comilitonum conuictu corrumpantur, turpiter se decipiunt, non videntes, ipsam solitudinem ineunti aetati maiorem peccandi occasionem plerumque praebere, quam discipulorum frequentiam. Corrupti enim seruorum ancillarumque, a quibus arceri penitus non possunt, mores eam deteriorem reddunt, optimaque saepe indolis pueros ita perdunt, vt a praeceptore domestico vix ad frugem se reuocari patiantur. Atque si cum rhetore illo dicendum quod res est, ipsi parentes saepius sunt, qui soboli suae

ad nequitiam exemplum praeceunt. Quum enim nullum
obscenum verbum admittendum sit eum in locum, in-
tra quem puer est; parentes iocis fescenninis liberorum
tenerorum aures imbuere non sibi ducunt religioni.
Quomodo casti ab impudicis, temperantes ab inconti-
nentibus, grauesque a levis animi parentibus educabun-
tur? Et licet largiamur, scholas publicas non vacare om-
ni corruptela; non tamen inde sequitur, vt parentes be-
ne suis consulant, si eos domi potius, quam publice eru-
diendos curent. Nam si eos perpetuo domi retinere
possent, neque vnumquam cogerentur, veluti aues pullos
suos, quum adoleuerunt, libero caelo, suoque permitte-
re arbitrio; tunc demum eorum ratio valeret, possetque
vmbatica illa institutio defendi. Quoniam vero studio-
rum ratio requirit ac postulat, vt litterarum alumni ex
umbra scholae domesticae in academiae lucem tandem
prodeant, vbi maior datur peccandi licentia, frequenti-
orque male agendi occasio se offert: fieri aliter non po-
test, quam vt iuuenes, seuuere adhuc disciplina coerci-
ti, veluti equi, ex stabuli tenebris in solem emissi, ferocire
incipiant, ruptisque quasi legum honestatisque repagu-
lis, in omni coeno libidinis volutentur. In tempore ita-
que in eam consuetudinem adducendi pueri sunt, vt ipsi
se regere discant, neque aliorum exemplo, ad male agen-
dum, se inuitari patiantur. Id quod non melius fieri po-
test, quam in scholis publicis, vbi probi ingenuique iu-
uenes bene se gerendo demonstrant, quanta sit in virtute
dignitas, mali vero corruptis suis moribus virii turpitu-
dinem declarant. Neque maiorem in litteris faciet pro-
fectum ille, quem solum vnus praeceptor docet, quam hi,
qui plures a magistro non vno, diuisis per diem horis,
bonis artibus ad humanitatem formantur. Vices profecto
prae-

praeceptorum, ut ipsos laborum molestiis leuant, ita discipulis gratæ accidunt et iucundæ, taediumque discendi, quod in teneris animis facile suboritur, ab illis auertunt. Quid? quod vni non dare solet Deus, ut in omnibus excellat disciplinis: satius igitur profecto est, scholas frequentare publicas, in quibus plures praeceptores iuuentuti erudiendæ nauant operam, quam domi latere, et ab vno praeceptore ea tantum addiscere, quorum cognitione ipse pectus impleuit. Ipsa denique æmulatio scholas publicas priuatis anteponit, quippe quum ab his exulet, in illis vero sedem veluti suam collocauerit. Quanta vero vis, quantumque momentum positum sit in æmulatione, ad animos iuuenum, litteris addictorum, discendi cupiditate inflammandos, nemini ignotum potest esse aut obscurum. Ipsa enim natura animis hominum indidit igniculos, qui optimum quemque maxime sollicitant, eumque impediunt, quo minus committat, ut reliquis iure posthabeatur. Vnde factum, ut POMPONIVS ATTICVS suo exemplo generosos condiscipulos incitaret, qui turpissimum suæque persona indignum putabant, se ab illo in studiorum cursu longius relinqui. Ita omnes, quibus non est frigidus sanguis circum præcordia, animati sunt iuuenes ingenui, nullisque stimulis aequè instigari possunt, ut suas expleant partes, atque exemplis condiscipulorum, quibus cum præclarum laudis certamen susceperunt.

* *insit. orator. L. I. cap II.*

Atque hæc sunt rationes, quibus homines, nobili etiam loco nati, inducti semper fuerunt, ut crederent, se non posse melius consulere liberis, quam si eos in scholas ablegarent publicas. Et si HENRICVS PIVS, Saxoniae dux, doctissimos quosque viros maximis pollicitationibus

bus undique aduocare, eosque filiis suis, MAVRITIO
et AVGVSTO, erudiendis praeficere potuisset; maluit
tamen eos in Fribergensem mittere scholam, et in disci-
plinam praecipue IO. RIVIO dare, certissime persuasus,
fore, ut in dies maiores in liberalibus studiis facerent
profectus. Atque hi duo principes, utilitatem scholae
publicae experti, quum rerum Saxonicarum potirentur,
id sibi agendum rectissime putarunt, ut tres scholas pro-
vinciales erigerent, eo quidem consilio, ut ibi adolescen-
tuli, tam nobili loco nati, quam obscuris parentibus or-
ti, diuinis humanisque litteris, ad omne officii munus,
instruerentur. Contigit tamen haec felicitas aliis etiam
scholis, ut ex illis prodirent viri, in summum dignitatis
gradum euecti. Testis est LVDOVICI in historia
scholastica, ex disciplina SAMVELIS SCHMIDII,
illustris Quedlei rectoris, accepisse principum palatia
XXVII. intimos, aulicos, aliorumque ordinum consilia-
rios; ecclesias vero cathedrales XIII. DECANOS et
CANONICOS. Ex eodem libro intelligimus, scholam
Goslariensem iam ante, quam Lutherus sacra repurga-
ret, episcoporum praefulumque Germaniae plerorumque
educatricem exstitisse. Sed cur externa eius rei conqui-
ro exempla, quum domestica suppetant? siquidem con-
stat, VIROS SVMME REVERENDOS, DOMI-
NOS nostros gratiosissimos, CASPAREM SIGISMVN-
DVM de BERBISDORF, potentissimi Sauromata-
rum regis in summo provocationum consilio senatorem;
et CHRISTIANVM ab VFFEL, serenissimi principis
Saxo-Gothani a consiliis sanctioribus, cum plus quam
XX. condiscipulis, nobili loco natis, scholam Cizensen-
frequentasse, et ab eius magistris, praecipue a rectore,
GOTHOFREDO GLEITSMANNO, in ipsa
ady-

adyta humaniorum litterarum fuisse perductos. Cuius felicitatis cum multis aliis, quas idem liber recenset, identidem schola nostra cathedralis facta est particeps, cuius alumni, nobili loco nati, magnis postea rebus praeesse coeperunt. Quos inter eminet, ut luna minores inter ignes, SVMME REVERENDVS ac PER-ILLVSTRIS DOMIMVS, FRIDERICVS WILHELMVS VIZTHVMB ab Eckstedt, ecclesiae Numburgensis DECANVS, cuius nomen quoties in albo scholae nostrae, a diuo BERGERO conscripto, intueor, intueor autem fere quotidie, toties, sublatis in caelum manibus, Deum precor, ut ILLVM vitam ad feros vsque annos producere iubeat. Neque dubium est, quin natalium splendore commendatus iuuenis,

CAROLVS GVILIELMVS DITERICVS de BVRCKERSRODA, eques Misnicus, famam scholae nostrae, rebus praeclare gestis, sit amplificaturus, qui domesticis inductus fuit exemplis, ut mallet, ad animi cultum adsumendum, nomen dare in scholam publicam, quam domi priuati praeceptoris uti institutione. Constat enim, patrem eius, virum omni laude maiorem, trigessimum fuisse inter iuuenes, nobili loco natos, quos IO. HVBNERVS, rector tum gymnasii Martis-burgensis, in conuictum contuberniumque receptos, omni liberali doctrina impertiuit. Mater vero, quum viueret, sexus sui decus ac ornamentum, ex gente HAVGVVIZIA orta fuit, quae tam variis principibus ministros toga et sago claros, quam multis ecclesiis episcopos dedit, in scholis antea publicis bene praeclareque institutos. Luculentum autem diligentiae suae daturo documentum prius, quam a nobis faciat discessionem, opportunam dicent-

427739 Or
cendi occasionem praebet suggestus scholasticus, quem
SVMME REVERENDI CAPITVLI liberalitas extruend-
dum curauit, solemnii ritu dedicandus. Quo pietatis of-
ficio perfungetur, consecrabitque illam cathedram oratio-
ne vernacula, qua *de diuersis cathedrarum generibus, quibus vsi sunt
veteres*, scite eleganterque exponet. Quem abeuntem
laetis ominibus faustisque acclamationibus prosequetur

GEORGIUS FRIDERICVS de BERLEPSCH,
eques Thuringus, quum *vindicias et sacrum saeculare artis typogra-
phicae*, quod in hunc incidit annum, carmine Germanico
celebrauerit. Quae dicendi argumenta quum ita sint com-
parata, vt tempori conueniant, summamque animi reli-
gionem eorum, qui verba facturi sunt, declarent, non
dubito, quin magnam auditorum frequentiam ipsis sint
conciliatura. Ego vero meum esse puto, SVMME REVE-
RENDI CAPITVLI ADSESSORES, SACRORVM ANTI-
STITES, omnesque, qui scholis publicis aequum statuunt
pretium, demisse, officiose ac peramanter rogare, vt
exigui temporis attentionem praebere velint his praecla-
rae spei adolescentibus, qui id agunt sedulo, vt gloriam,
a maioribus acceptam, magnis accessionibus auctam, ad
posteror propagent. Locus, vbi orationes habebuntur,
erit auditorium, a primo ordine huius scholae alumno-
rum nuncupatum, vbi noui suggestus dedicatio pera-
getur. Initium vero dicendi fiet ab hora crastini diei,
ante meridiem, VIII. P. P. Numburgi d. XXV. mensis

Aprilis A. MDCCCLXXX.


*

*

*

X 265 1176

nc.



Q.K. 514/40.

Yd
2739

ACTVM ORATORIVM
IN DIEM CRASTINVM
INDICIT
PAVCIS DISSERENS
DE RATIONIBVS
QVIBVS NOBILI ETIAM LOCO
NATI HOMINES
SCHOLAS PVBLICAS PRIVATIS
ANTEPONENDAS ESSE
EXISTIMANT
M. IO. GEORG. Schulze,
SCHOL. CATHED. RECT.

LITTERIS BOSSOEGELIANIS.

